

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Valentin Großgebauer Iustus Andreas Waldeck

Dissertatio Historica De Nativitate Salvatoris Nostri

Rostochii: Wepplingius, [1683]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730611256>

Druck Freier  Zugang



R U. phil [K 55]

Grossgruber, Joh. Valentin

Waldkirch, Fridericus Melior



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn730611256/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730611256/phys_0002)

DFG

L.S. N. F. C.
DISSE^TRAT^IO HISTORICA
^{DE}
**NATIVITATE
SALVATORIS
NOSTRI**

Quam

Luc: M. 1-12

Consensu Amplissimæ Facultatis Philosophicæ

In celeberrima Academia Rostochiensi

M. JOH. VALENTINUS *Großgebau*
Rostochiensis

&

JUSTUS ANDREAS WALDECK,

Waldeccensis

publico Eruditorum Examini subjicient,


In COLLEGIO BOREALI

AD D. XXIII. Januarii.



ROSTOCHII, Prae^{ce} WEPLINGIANO, UNIVERS. TYPOCR.

[1685]



I. S. N. J. C.

PRO OÆMIU M.



Uplex potissimum Natalitiorum genus in
Veteri Ecclesia obtinuisse obseruare licet.
Festivi namque erant Martyrum Natales,
dies non quibus natil renati sed dena-
ti martyrioque coronati mortem cum
vita longè meliori commutârant, &
ad immortalem æternamque verè re-
generati transierant. Non inferior hisce, imò multis
modis solennior erat Dies Natalis, quo memoria Regis
Martyrum nati non denati ab Antiquis celebrabatur. Et
vero jam Sec. V. conjunctim dies istos observatos fuisse
haud obscurè liquet ex serm. 95. Augustini de diversis, qvi est
de S. Stephano, ubi ita: *Natalem Domini hesterna die celebravimus. Sed Natalem Domini celebravimus, quo dignatus est nasci: Natale servi celebramus, quo coronatus est. Celebravimus Natalem Domini, quo indumentum nostra accepit carnis: Natalem servi celebramus, quo sua carnis abjecit indumentum... Natalem Domini celebravimus, quo factus est nobis similis: Celebramus servi Natalem, quo factus est proximus Christo.* Inde à pia primitivæ Ecclesiæ consuetudine non discedit
Nostra, dum adhuc Natalem Domini cum Natali Primicerii Martyrum conjungit. Nos memores egregi
istius omniqve laude dignissimi instituti altero Natalitiorum
generis

A

generē misso, hāc vice in Natalem & historiam Nativitatis
dulcissime Domini & Salvatoris nostri qvædam commen-
tari suscepimus. Non autem singula, sed præcipua saltem
attingemus momenta consideraturi præeunte Veneranda
Vetustate & Tempus & Locum & Parentes recens nati Jesuli
Nostri. Tu interim, L.B., hunc nostrum qvalemcunqve la-
borem honori Salvatoris dilectissimi unice consecratum
Christianæ ut fas est proseqvaris charitate obnixè rogamus.
Sit igitur Bono cum Deo.

CAPUT I. DE TEMPORE NATIVITATIS CHRISTI.

S. I.

 Tsi plurimi ipsis etiam Evangelistarum tēm-
poribus rerum à Servatore dulcissimo gestarum se-
riem eomponere in se sucepere, singulari tamen
providentia divinæ curæ tribuendum, qvod qva-
tuor tantum Evangelistarum scripta hac de re au-
thentica conservata & Ecclesiæ Christi commen-
data sint. Ex qvibus qvamvis singuli in enarran-
da Salvatoris historia egregiè operam suam posue-
xint, imprimis tamen D. Lucas historiam nati Jesuli accurate descri-
ptam ad posteros transmisit Balbus. Meisn. Chriſt. S. Diff. 28. tb. 2.
Hujus proinde vestigiis insistentes ea saltem, ad qvæ in procœlio di-
gitum intendimus, meditationi prælenti subjiciemus.

S. II. Tempus igitur Nativitatis hujus omni admiratione di-
gnæ investigaturi negligemus singulares Astrologorum ex varia cœ-
sti sider umqve dispositione eam utcunqve divinantium observationes;
curiosa enim ista si qvos delectant nos certe libenter omittimus. In
eo potius cura nostra oceupabitur, ut ex historiæ limpidissimis fon-
tibus hauiamus argumenta pro determinando Nativitatis Salvatoris
tempore.

S. III. Primo omnium verò de Anno, quo contigit, dispici-
endum nobis sedulo est. In genere illum Historicus divinus a. i.v. 5.
deter-

determinat his verbis: *Diebus Herodis*; sed cuius? *Magni sc̄ plu-*
res enim fuisse ex Josephō abunde satis constat; Noster a. καὶ οὐκεῖται
ita appellatus ob magnas res gestas filius fuit Antipatri & nepos An-
tipa Jos. Ant. Jud. l. 14. c. 2. natus Matre non Iudeā qvæ sententia B.
Cyrillil.8. advers. Julian; sed Arabissā Jos. I. c. c. 12. & l. c. 6. Bell. Judæicē
Euseb. in Chron. Grac. Scal. n. 1983. & Latin. Hieron. Natione Judæus
non αἰδοφύλαξ Dorsch. interpell. necess. ad meditat. Trigland.
diff. 5. §. 12. Scal. animadvers. en Euseb. l. c. Casaub. exerc. Antibaron-
i. p. 24. seq. Idem Patrē veneno sublato Jos. l. c. c. 19. regnum fren-
dentibus licet Judæis à Romanis, quibus servire dudum coperant,
imperavit Jos. ib. c. 26. Factis admodum clarus, Judæis qvippe sub-
jugatis & remotis æmulis l. 14. c. 20. 28. & l. 15. c. 9. Arabibus bellum
intulit l. 15. c. 6. Donatus præterea ab Imperatore multis vastisque re-
gionibus l. 5. c. 13. & l. 16. c. 13. ditionem suam multis modis amplia-
vit; Tyrannus tamen summo Judæorum odio flagravit, id qvod
querela eorum coram Romanis satis superque docet Jos. l 2. de Bell.
Jud. c. 4. nec satis erat, dum esset in vivis, sanguine Judæorum manus
suis commaculare, qvin moriturus eum quoque avidè appetebat; ju-
bebat enim suos, ut multitudinem Nobilium circo clausam militi-
bus cingerent, & circumventos omnes jaculis configerent Id. l. 17.
Antiq. c. 8. Tristem vero tandem & Tyrannis familiarem sortitus est
exitum, siquidem immanni morbo corruptus justissimas scelerum suo-
rum poenas Deo dedit Jos. ibid. c. 10. & ex eo Euseb. L. I. hist. Eccles. c. 8.
Hoc igitur Tyranno imperante Messias noster natus est; sed quo præ-
cisè anno nondum inter Autores convenit discordes de die obitūs
Herodis, unde tota lis pendet. Nos in præsenti missis aliorum senten-
tii ad eorum opinionem tanquam probabiliorem accedimus, qvi
Christi Natalem in annum Julianum 43. respondentem A. M. 3947.
Period. Jul. 4711. Olymp. 2. 194, u. C. Varron. 751. cum Consules essent
Cornel. Lent. Gerul & M. Val. Meffal. incidere putant, imprimis hâc
ratione moti qvod Herodes secundo à nato Salvatore nostro anno pe-
rierit teste Eusebiol. c. qvi annus interitūs Herodis relatus ad annos Ju-
lianosc efficit 45. Hanc vero sententiam pluribꝫ tueri satagunt Aurel.
Cassiod. & qvodammodo Epiphan. (uti habet Vossius de anno Nativi-
tatis Christi diff. I. n. II.) Georg. Cedren. Job. Cufin. Joseph Scalig.

*Gerb. Job. Voss. n. 15. 16. B. Strauch. diss. de nat. Imman. C. 1.
punct. 1. & Brev. Chronol. c. 40. p. 1065.*

S. IV. Specialius Idem insinuator ab Evangelista c. 2. ubi bia
floriam Nativitatis Christi ex professo persequitur. Nominat Augu-
stum, indicat Descriptionem, nec preterit Executorem descriptionis.
Ottavius Cesar Augustus Romae natus Patre *Ottavio*, & Matre *Atia*
Sueton. in Augusti c. 3. 4. Cesar appellatus est a *Julio Cesar* Imperato-
re, qui eum adoptarat *Dio in Aug. c. 1.* *Augustus* vero cognomine am-
pliori, quod loca religiosa Augusta dicerentur *Sueton. c. 7.* Impera-
tor sane felicissimus; sive perpendamus gloriam familie unde ortum
hausit: Erat enim *Julii Cesaris* ex sorore nepos *Sueton. ibid.*; sive
considereremus egregias corporis animique ipsius dotes, quas graphicè
satis ob oculos ponit *Sueton. c. 79. 84. 89.* Scriptor emendatissimus &
candidissimus ut cum appellare amat *Vopiscus*. Vid. *Releff. Hyem. Degor. Whear. Sect. 21. p. 134*; sive intueamur dignitatem ejus amplissimam:
a Consulatu namque ad Triumviratum, ab hoc ad Duumviratum,
hinc demum ad Monarchiam ultimum honoris gradum ascendit *Sueton. c. 26. 27. 28. Tacit. l. 1. Annal. c. 1.*; sive cogitemus res ab ipso
summa cum laude gestas: Tradit enim *Historicus* jam saepe laudatus
diligentiam ejus maximam in tollendis legibus iniqvis & justis
sanctisq; condendis *Sueton. c. 32. 34.* Nec minus celebrat victoria qvæ
undiq; circumtulit arma c. 22. loquuntur de iis bella *Mutinense*, *Phi- lippense*, *Perusinum*, *Siculum*, *Aetiacum*, *Dalmaticum* & *Cantabria*
cum c. 9. 20.; ut taceamus *Pannonicum*, *Dalmatum*, *Illyricum* &
Germanicum, qvæ per Legatos magna ex parte feliciter confecit c. 21.;
sive attendamus exitum ejus satis felicem; senex enim in complexu at-
que osculis *Livia* sua placidam mortem, secus ac alii Imperatores Ro-
mani, *Nole* obiit ib. c. 98. Omnia autem felicitatum hucusque enu-
meratarum facile princeps aestimari debet ea, qvòd (utinam agno-
visset tum verè felix fuisset) illo Rempubl. cum laude administrante
Salus orbis totius exsurgere coepit *Eusebius hist. Eccl. l. 1. c. 5.* & quidem
(si fides habenda Chronologorum calculo) anno 42. Imperii *Augu- sti*, cum illum à nece *Cesaris* deducimus, conf. hīc nobiscum conser-
tientes *Clem. Alexand. l. 1. Strom. Epiph. heres. 51. Euseb. in Chron. Isidor.*
in Chron. Tornand. Zonar. &c. anteqvam autem hinc discedamus, placet
nonnullaqvæ cooptam historiam illustrare videntur adjicere scilicet
fingit

tingit *Vasorum Annalium Conditor* in apparatu annal. n. 25. *Augustum* pro certo habuisse Nativitatem Domini ex versibus Heroicis ab Oraculo editis; sed magnam hic Baronii miratur *axe* *o. av.* quomodo enim Baroni hæc tua convenienter? oraculum Apollinis Delphici tunc occlusum tamen *ēpūētēas* vaticinium reddidisse. Nec juvat illum Nicephori & Suidæ quam allegat authoritas. Rectè enim de illo *Casaub.* exercit 1. ad apparat. annal. pronunciat, esse eum *auctorēm vanissimum, futilissimum, fabulofissimum* & *pudorū* *q̄d angūsī exphadōr;* de alterius verò temeritate in probando ipse *Baron. n. 26.* conqueritur. Nec soſus *Baronius* in luto erroris hæret. Inveniuntur & alii cum eo n. 26. eadem oberrantes chorda, qui volunt & credunt ex Sibyllinis oraculis Nativitatem Domini innotuisse *Augusto.* *Boxhorn.* *Hist. univers.* p. ii. Concedimus quidem, si ea Sibyllarum, quæ hodie communi omnium voce celebrantur & antiquis Patribus nonnullis commendata sunt, oracula viderit; de cujus rei veritate tamon gravissimi quoque Authores dubitant. *conf. Casaub. l.c.* p. 60. *Boxhorn.* p. 11. *Gerhard.* *Job.* *Voss.* *libro sing.* *de Poët.* *Grac. c. 1.* *Tobias Wagner* *inqvis.* *in orac. sibyll.* *Philippus Mornanus* quidem *lib. de Verit.* *Relig. Christ.* c. 32. in subsidium vocat *Sueton.* *in Aug.* c. 31. nec non *Cicer.* l. 2. *de divin.*; sed quid *Suetonius?* oracula sibyllina in duabus capsulis aureis ab *Augusto* recondita memorat, de exordio verò *Domini Iesu* in illis aliquid tradi haud afferit. ad locum *Ciceronis* parata est responsio: Verba ista non ad *Regem Messiam* venturum, sed ad *Julium Casarem* potius referri debere, quem cum amici ad regiam dignitatem evehi valde cuperent, famam spargebant libris fatalibus contineri, vinci Parthos nisi à Rege non posse. *Sueton. in Caesar. c. 79.* Pergit nugari *Baronius n. 26.* apertum adhuc splendidumque addens mendacium, dum adserere non dubitat, B. Virginem sublimem in aere infantem in ulnis habentem ab *Augusto* visam fuisse: Hanc putidissimam fabulam tantum abest ut reſiectat *Baronius* ut etiam adhibita interpretatione illam maximè ornnet; scilicet tantæ molis erat Romanam & Apostolicam fedem figurantis magno studio undique collectis stabilire. Sed nec alii desunt *Adulatores*, qui *Augustum* postquam ipsi significatum erat, *Dominum mundi* in *Judæa* natum, noluisse amplius *Dominum* appellari insolenter

ter glorianter; Ast hi fabulatores ab ipso *Oroso*, cuius autoritate nuntur, libr. 6. c. ult. refelluntur. Causam enim tituli ab *Augusto* rejecti quam illi prætendunt ignorat, quamvis rem ipsam non neget conf. *Boxhorn*. loc. cit. p. 45. Sane eodem pretio habendum hoc *Augustum* atque illud *Baronii* quando ad annum I. n. 16. observat, *Augustum* ob natum Christum multa in Judæorum gratiam ordinasse, quæ vero observatio *antiquitas* nimis crassam *Baronii* prodiit *Casaub.* l. c. p. 158. Nondum fabularum finis, novam excogitarunt, dum nummos jussu *Augusti* in honorem *Saluatoris* cūsos fixere cū his inscriptionibus; **SALUS HUMANI GENERIS; & PAX ORBIS TERRARUM;** at hoc aliaque commenta nec ex verē *Historiae* pandectis nec ex antiquis lapidum Romanorum inscriptionibus quæ adhuc exstant erui at demonstrari queunt. Denique figurae mentum de Ara cuius inscriptio: **ARA PRIMOGENITI DEI** ab Imperatore *Augusto* honoris recens nati *Iesu* nostri consecrata defensionum à *Morneo* l. c. p. 532. satis conveilunt & authoritas fragiliſ *Nicephori Suidaeque Casaub.* p. 84. & formulæ in dedicandis altaribus tempore *Augusti* usitatæ *Sueton. Inscript. Antig. Illust. de Cesar. Rosin. Antiquit. Rom.* l. 2. c. 2. *Boxhorn.* p. 46. *Bosius de ara ignoti Dei*, c. 1. par. 9.

S. V. Descriptio dicebatur actus ille, quo subditorum nomina, cognomina, ætas, genus, patria, facultates, status, conditiones autoritate publica annotabantur & tabulis publicis inserabantur, quæ quasi breviarium essent & inventarium Reipublicæ *Mathæus Polus Synopsi Critic. Sacr. script. ad h. l. Bebelii antiqu. Evangel. art. 6. sect. 2. p. 409.* Hunc describendi modum primis quoque temporibus apud Romanos in usu suisse docet *Florus* l. 1. c. 6. Neminem autem latere arbitramur, quid in describendo orbe Romano *Augustus* in consilio haberet; sc. cupidus erat cognoscendi opes & copias omnes imperii sui: quot civium Romanorum capita restarent; quæ affinitates cognationesque ubique essent; unde genus & prosapiam ducerent subditi; quæ populorum per singulas provincias vires & facultates ut necessitate exigente commeatus suppeditari, & pro cuiusque facultatibus tributa solvi possent. interim Deus Opt. Max. longe aliud intendebat, oportebat enim *Augustum* Imperatorem illum & Monarcham metatorem esse hospitii *Christi Filii*

Dei

Dei in terras venientis, ut per illum prophetia de nascituro Bethlehe-
mi Regem Messiam impleretur. Cum hactenus dictis consentit illud Chrysostomi Homil. 8. in. Matth. C. Auct. 85. in p[ro]p[ter]eis t[er]rae et Iude-
iuniorum. Et testimonia r[es] t[er]rae et iudeorum. Ceterum id condo-
nare Baronio non debemus, quando is in apparatu ann. n. 94.
deceptus a Suidae numerum descriptorum Romanam ditionem in-
habitantium ad 401017. restringere conatur. Certe Iudea sola
cum numerum superare potuit; siquidem Joseph. l. 3. c. 2. belli
Jud. testatur, nullum fuisse adeo parvum Galilaeam vicum qui non
super 15000. incolas haberet; oppida pagi Galilaeam vero eodem te-
ste in vita per ipsum conscripta fuerent 204. (non 404. ut vitiouse ab in-
terprete redditum observavimus) numeri igitur 15000. & 204. in se-
ducti dabunt 306000. Hoc producto indicatur numerus populi Ju-
daici inventus tempore Josephi in solis oppidulis Galilaeam nulla ha-
bita ratione urbium majorum in quibus longe numerosior popu-
lus fuit. porr[oc]ò notandum hanc descriptionem sub Augusto factam
non debere confundi eum ea qua de mentionem facit Joseph. libro 18.
antiq. Jud. c. 1. ista tranquilla fuit, haec tumultuosa; ista Herode Ma-
gno adhuc vivente, haec eodem iam defuncto tempore Archelai con-
tigit Bebel. l. c. p. 409.

S. VI. Executor descriptionis appellatur Kugivis. quod tamen a Ta-
cito lib. 3. annal. vocatur Quirinius. Conciliatio istarum appellatio-
num facilis est. dum pro comperto habemus; nomina Romanorum
a Gracis varie & lecta fuisse & scripta. Major autem difficultas
oritur ex verbis istis Evangelista in p[ro]p[ter]eis t[er]rae et Iudei
qua repugnare videntur Tertull. lib. 4. advers. Marc. c. 19. & Joseph.
Antiq. L. 16. c. 13. afferentibus, Sententiam Saturninum hoc tempore
Syria praesidem egisse. Ad hanc tollendam ecce quomodo sese AA:
torquent. Beza (referente Strauch. in brev. Chron.) pro voce
Kugivis nomen Kurylis ausus est substituere; Calvinus Josephum
erroris commissi accusat: Baronius denique apparatu n. 86 tribus
vicibus Syriae praefuisse Cyrenium censet. Nos in praesenti eorum
preminus vestigia, qui de ordinario Magistratu Tertullian. & Jo-
seph. de extraordinario vero Lucam loqui haud dubitant, & confir-
mat

mat hanc nostram sententiam vox θεότητος, quae relata ad Cyrenium docet eum hoc tempore missum esse ab Augusto cum extraordinario imperio, qui deinde monente Iosepho l. 18 c. 1. jure ordinario in Syriam venit Casaub. n. 87. p. 226. Bebel. Loc. c. Straub. brev. Chron. p. 1070. Neque adeo infrequentem hanc fuisse consuetudinem apud Imperatores Romanos monet Claudius Imperator in aenea Lugdun. tabula & Tacit. l. 1. annal. c. 31. Pericolo ergo plenissimum pronunciamus institutum Bezae conantis corrigerem textum biblicum; certe vanus est illius metus, quoniam nec infensissimi Christiani nomini hostes Julianus sc. & Porphyrius ut ut legerint in N. T. descriptionem à Cyreni tempore Herodis factam ausi sunt contradicere. Nec firma Calvinii sententia, licet enim Josephum nonnunquam hallucinatum esse non diffiteamur, in istis imprimis quae ab ætate ejus remotiora sunt, in historia tamen sui temporis testem magis idoneum præter ipsum haud dari dudum à Viris Doctissimis evictum Conf. Euseb. l. 1. Hist. Eccl. c. 5. Voss. de Nat. Christi p. 8. Casaub. exer. 1 p. 27. Baronium denique quod concernit, satisfecisse ei Literatorum Principem Casaubonum arbitramur l. c. n. 30. proposita vera legitimaque Præsidum Syriae ex Iosepho recensione, quæ duabus illis præfecturis, quas Pater annalium commentus est, penitus excluditur.

S. VII. Satis de Anno Natali ejusque historia. Hisce tamen nondum contenta curiositas humana perrexit ulterius de Mensa & Die Nativitatis Domini diquisitionem instituere, quæ cum nihil certi nec in Sacris literis, nec in monumentis Veterum in quo acquiesceret hac de re consignatum offendaret diverlas peperit opiniones, ex quibus præcipuas hoc loco recensere nostrum erit. Prima igitur opinio fuit Ecclesiarum Grecarum & Orientis quæ VIII iduum Jan. Christum natum putarunt ḡf. Epiph. h̄ref. 51. Ammian Marcell. L. 21. & parte hac Græcis consensisse Ægyptios testis est Cassianus collat. 10. c. 1. Seconde ac tertiam, quæ creditū B. Virg. XXIV. l. XXV. Φαρμακί, aut XXV. μάχαιρα Salvatorem Orbis enixam esse nonnulli Ægyptiorum defendere, prout id discere est ē Clemente Alex. L. 1. Stromat. Quarta sententia authorem sese profitetur illustr. Scal. not. in fragm. L. de cemen-
dat

dat. temp. contendens in eunte Octobri natum esse Christum. funda-
mentum sententiae suæ desumpsit ex ordine sacerdotali à Rege Da-
vide primum instituto. Hinc ministerii *Zacharia*, concept. & Nati-
vitatis tum *Jobannis* tum Salvatoris nostri tempora colligit. Ulti-
ma sententia est, qva natus perhibetur Servator generis humani VIII.
Calend. Jan; Hæc cæteris receptior jam antiquis temporibus Ecclesia
Romana fuit judice *Chrysost.* Homil. 31. in natal. Dom., illamque po-
stea *Constantinopolitan* deserta opinione veteri amplexi sunt ibid.
in hac sententiarum varietate si quis ex nobis querat cui adstipulemur
parti, sciat ultimæ sententiae tacito antiquissimorum Patrum confe-
ssu & communissima Ecclesiæ nostræ consuetudine appobatae nos ac-
cedere: neque movent nos que refragari opinioni receptæ censem
Cl. Nicolsi, in natalit. §. 16(1) ac si verisimile non sit censum *Augusti* su-
per orbem media hyeme tempore incommodissimo fuisse indictum,
cui succenturiat *Scalig.* l. c. addens, non solere Pastores eo anni tem-
pore noctu apud gregem excubias agere, qvod tamen tempore na-
tivitatis Christi factum. (2) quod Christus eodem die quo natus etiam
baptizatus sit: at baptizatum illum esse vere vel autumno
E. ad 1. Resp. non debere ex Gallia aut Germania, si tempe-
statum ratio habenda, de iudea & locis aliis æstuosis, aut magis me-
ridionalibus judicium ferri: ponamus verò loco, qvem intendit *Sca-*
liger de nocturnis excubiis sermonem esse, novimus observationem
illius nec in septentrionalibus regionibus semper locum habere, quem
admodum nos docet *Casaub.* p. 156. idemque doctissimus *Voss.* l. c.
p. 46. *av' Cn m/s* confirmat. ad 2. Resp. neg minorem; si enim die sexto Ja-
nuarii Salvator baptizatus ut olim plurimæ credidere Ecclesiæ *Casaub.*
p. 168. non vere aut autumno sed media hyeme Christum natum
esse oportet. Cæterum num die Solis ut *Bellarmino* in lib. Dub;
an Saturni ut *Antonio de Gislani*, tom. 3. Concil; an Veneris ut *Surio*
placet, in lucem editus sit Immanuel non ambigimus; Valde interim
exoptamus ut egregium opus *Altron.* Chronol. Wasmuth. diu à Do-
ctis expeditum eruditio orbi aliquando communicetur, ex qvo, sicut Au-
thor omni laude dignissimum in prodomo *Math. Mos.* à *Cl. Reibera*
inserto promittit par. 3. Verum annum, mensem, septimanam diemq;

B

Nati-

*Nativitatis Christi determinare ac colligere quilibet sine ulla mo-
lestia poterit, sed satis de Tempore succedit.*

CAPUT II.

DE

Loco NATIVITATIS CHRISTI

§. I.

Quemadmodum accuratissimum in *Tempore Nativitatis Salva-*
toris Mundi definiendo Evangelistam deprehendimus, ita non
minori diligentia cum in loco exprimendo fuisse usum sequentia doce-
bunt. Dicitur in genere Bethlehem Iude ut distinguatur ab urbe
Bethlehem sita in tribu Zabulon. estque observante Christian. Adricho-
mio in theatro terræ f. p. 41. posita in monte mediocriter alto situ
ipso arcto & oblongo; ingressus est ab occidente in loco declivi &
distant in Plaga meridionali sex milliaribus ab urbe Hierosolyma. Et-
si verò splendore externo multum Hierosolymæ cedebat, clarissi-
ma tamen multorum illustrium Vitorum monumentis existebat. Huic
enim oppido Abessan Vir præclarissimus & Judex Israelitarum dexter
rimus natales suos debebat; Hinc Elimelch, Obed, Isai imd & David
inlytus Judæorum Rex orti erant; sic ergo Bethlehem totius Regiæ
& Davidicæ stirpis seminarium exstitit. Claritatem autem maximam
adepta videtur, ex quo partum toti orbis salutarem Messiam sc. dudum
promissum edidit: quod factum mysterio non caruisse alibi doce-
tur vid. interim Christ. Matthiæ theat. His. p. 460.

§. II. Disquiritur autem hoc loco num Servator noster in urbe an ex-
tra eam in lucem editus sit. *Justinus Martyr* Scriptor vetustissimus
in *Dialogo cum Tryph.* Virginem in speluncam quandam oīvey οὐρανοῖς
divertisse ait. *Eusebius* verò l. 7. dem. *Evang.* agrum so-
lum admirabilis hujus partus natale ostendi solitum dicit. *Cajetanus*
ad b.l. *facilius* nodum quo pacto *Herodes* Christum à Magis adoratum
se ignoravit solvi posse censet, si ponatur, extra muros adorationem
famam esse. Putabat autem *Cajetanus* in eodem loco & natum Do-
minum, & à Magis adoratum esse. *Dantur præterea*, qui idem ex
Historia concludi posse sibi perivident; si enim, colligunt, in
urbe præsene fuisse, quomodo nocte intempesta aut urbem intrare Pa-
stores

stores aut stabulum, in quo prælepe, reperire potuissent? *Beronius*
tandem *at ann. I. n. 2.* magna motus fiducia pronunciare haud dubi-
tat, speluncam in qua Christus perhibetur natus esse in suburbis *Beth-
lehemiticis* fuisse sitam. Ast si ea qua par est industria verba Evangelii
excutiantur, luce clarius apparebit, B. Virginem non in spelunca
aliqua extra urbem posita, aut in suburbis multò minus in agro, sed
in ipsa urbe *Bethlehem* filium suum enixam esse. Non enim proba-
bile est nullum omnino Josepho & Mariæ diversorum *Bethlehem* pa-
tuisse; contrarium certè vis articuli quam maximè urget *Casaub.* exer-
cit. 2. p. 144. ostendere videtur. Imò si dicendum quod res est, ve-
risimile omnino est, illos in certo aliquo diversorio quod ad cætera
fuisse exceptos, sed locum vacuum qui ipsis ad cubandum concedere-
tur non fuisse ibi inventum. Nec insolens cuiquam hoc hospitiorum
genus videri potest, qui expendere distinctos apud veteres humanita-
tis gradus velit, quos ut solet eruditè *Casaub. in comment. Polyb.* ex-
plicavit. Ulterius & id fortiter pro nostra sententia concludit, quod
Helena Imperatrix religiosissima teste Euseb. L. 3. demonst. Evangel.
illo ipso in loco ubi Rex *Messias* natus fuerat templum extruxerit satis
splendidum atque magnificum: ædificavit verò ut habet *Sozom.* l. 2.
de Helena templum in Bethlehem. Relinquitur igitur in urbe non ex-
tra muros Christum natum esse: ὅπερ ἔδι αὐτός. Repudiamus igitur
merito testimonium *Justiniani*. Qvis enim Veterum præter *Justinum*
scripsit natum Jesum ἐγγένητον Βηθλεέμ aut εὐρέως Βηθλεέμ?
imò idem sibi videtur contradicere, dum *Apol. 2.* afferit, natum esse *Mes-
siam εὐρέως*. Nec est qvod qvidam pro hac sententia adducat
Homiliam Chrysostomi apud *Mattb. Pol. in synopsi Criticorum ad h.*
l. Dicimus enim cum *Casaub. p. 151.* qvod eloquentiae *Chrysostomi* &
omnium illarum Virtutum qvæ orationem illius divini Doctoris aut
dicendi rationem χαρακτεῖσσον ne pilum qvidem homiliae istius
Authoris quisquis tandem ille fuerit habeat. Qvod ad *Euseb.*, dictu ab
surdum putamus partum sanctissimum in agro à B. Virginе editum es-
se. Vitii ergo codex deprehensa tam manifesta adsurditate palam
convincitur; Hinc facta mutatione minima pro Γάργες scribe
Γάνγες & res dubio amplius carebit. Ad *Cajetani* objectionem

B 2

hoc

hoc notamus, constare sc. ex Matth. c. 2. Christum à Magis in domo adoratum esse, illa autem domus proculdubio fuit in vico Bethlehem, & illud ipsum diversorum cuius Lucas meminit. Ceterum quod de facto Magorum Herodes nil rescriverit divinæ prouidentiæ adscribi debere haud imus inficias. Quarta sententia Patroni hoc sibi habent responsum: si Bethlehem fuerit vicus muris caruit, ponamus verò habuisse muros, credibile est in tam altâ pace portas ut pluricauum relictas fuisse apertas, Pelus l. c. Sic intempesta nocte à Pastoribus Christum inventum velut divinum factum miramur, & in silentio veneramur. De Baronio tandem hæc habeto: utique optare nos ut doceret ubi invenisset Bethlethemum habuisse suburbia. Aliud profectò videre licet Johan. 7. v. 42. contentientibus Hieron. in Epist. ad Mareel. & ad c. 5. Mich. & Theodoreto sermon. 5. curat. à quibus Villa, villula, vix parvus viculus it. locus ignobilis & parvus dicitur.

§. III. Diversorum quidem Parentes Christi Bethlethemi invenisse, verum in quo locus ad cubandum non esset vacuus paulo ante audivimus. Discedere igitur in stabulum jumentorum quod diversorio erat conjunctum aut proximum coacti sunt. Hic paulisper abire videtur Adrichomius l. c. qui utut non neget Mariam in urbe filium suum peperisse, putat tamen Christum esse natum in rupe prope murum. Eqvidem non negare volumus stabulum illud fuisse intra saxa excavatum, cum constet vicum Bethlehem in faxeo colle situm fuisse totamque regionem circa Hierosolyma ad Sexagesimum usque lapidem notante Strabone esse ~~est~~ in Moy Casaub. p. 145. ob quam causam etiam stabulum à Patribus vid. Orig. l. 1. contra Celsum. Euseb. l. 7. adem Evang. c. 5. Athanas. & Gregor. Nyssen. de nativit. Christi. Epiph. heres. 20. Hieron. Epist. 17. 18. citante Bebelio l. c. p. 413. vocatur οὐρανοῖς non quidem οὐρανοῖς, cuiusmodi celebrantur à Poëtis & Geographis sed adornatum in usum stabuli, id quod præsepe ibi positum demonstrat. Interim non simpliciter cum Adrichomio affirmare audemus, fuisse stabulum illud à domo separatum, & locum Pastoribus destinatum. Num autem verum quo de multum gloriatur Baronius In. 4. miraculum de fonte in spelunca ubi Dominus natus exorto? Scilicet cum hæc

hac de re ipse subdubitanter loquatur nos quoque siccō pedē signemā
tum istud præterire possumus certo persvasi multa futilia & palam falsa
libro *Venerabilis Beda de locis sacris* ē quo fabellam hanc hausit,
doceri. Ejusdem monetae videtur etiam esse veneratio quam loco
nativitatis exhibitam primæ vetustatis exemplō tueri conatur. *Annalium*
Pater n.s. Sciendum igitur aliquot post seculis reverentiam
istam religiosam non primo illo Ecclesia nascentis tempore cœpisse.
pergit *Baronius* ibid. fabulas augere novis, dum singit præsepe' Da-
mini argento tectum fuisse; at ubi *Pseudo Chrysost.* cuius authori-
tatem noster sequitur hæc habet? dicit: nos Christiani tulimus luteum,
posuimus argenteum: de tegumento nullum verbum, nullum vestigium:
Porro si secundum te, *Baroni*, natus est Christus in stabulo & jacuit
in præsepi medius inter bovem & asinum, qui potest sequens asser-
tum tuum, ibid. cum veritate consistere, natum eudem esse in casa?
solent ne jumenta in casis collocari? at necesse erat *Consectori An-*
nasium commentum istud lectori persuadere, si fidem casæ, que Ro-
mæ visitur, conciliare vellet. nobis quidem casa ista Bethlehemita
Romam translata ejusdem videtur esse valoris atque domus Naz-
aret hico - *Lauziana* destruta penitus à *Dn. D. Kort bolt. Disp. Antiba-*
ronianus Diff. I.

CAP. III. DE PARENTIBUS CHRISTI.

§. I.

Quamvis aliàs seqvior sexus habetur inferior; merito tamen hoc
loco ab illo ordimur, cum præcipua *santissima Virginis* in
Nativitate Domini habenda sit ratio, in qua extollenda neque cum
Mariolatria adeo insanire debemus, ut eam Deam, Dei thronum, tem-
plum cœlo majus, hortum non seminatum, tñturem mundam, nu-
bem pluvias incorruptas continentem, fodinam unde prodiit lapis to-
tam tegens terram, navem mercibus refertam nulloque gubernato-
re regentem &c. appellemus vid. *B. Dorsch. Anticorn. c. 27. p. 363. Horn-*
beck. examen. bulle. Urban. p. 122 Neque cum *Verpū* gente ignomi-
niosissima & ad summam dementiam redacta in ea de honestanda fa-
cere

cere possumus , qui vehementissimo furore quo feruntur in Sa'vato-
rem nostrum correpti in adulterio Virginem castissimam deprehen-
sam esse mentiuntur Morn. l. c. c. 30. Meisn. l. c. p. 187. Regiam eligi-
mus viam faventes quidem toto pectoris affectu g'oriae n's ~~et ergo~~
~~hunc~~ ~~ostendit~~ ~~Virginis;~~ Sed fingi à nobis mendacia hunc in finem
aut fictis fidem haberi religio prohibet ; imò verò hoc ipsum in
Marie contumeliam cedere nulli dubitamus . quid igitur superest ,
si ut reliqua dissertationis nostrae parte nugis atque putidis Papista-
rum de B. Mariâ commentis pro facultate virium obviam eamus.

§. II. Id autem omnium optimè fieri putamus , si justo ordi-
ne à miraculis , qvæ magna & per omnia admiranda natalem Dei g-
nitricis præcessisse satis audacter Baronius apparatu n. 40 , gloriatu-
incipiamus . Jussus dicere causam obtendit miracula , qvæ dios nat-
les summorum Herorum ac Prophetarum præcessere : sed fculnea e-
ista tua , qvam nec tis *Cardinalis* , consequentia : scilicet alleges causa
asserti tui , qvæ tamen rite examinata probationem non sustinet . E-
historia certissima petenda erant documenta , non ex proprio ausu im-
ponere necessitatem credendi ea , de quibus altum & in sacra & in
prophana historiâ silentium .

§. III. Deinde non caret suspicione dies octavus Decem-
bris in quem vulgo natalem Mariæ referuntur . Videtur opinione
hanc tunc primum in Ecclesiâ invaluisse , cum sacer nativitatis ipsi
cultus institueretur . Idem de annis B. Virginis sentiendum Conji-
quidem *Cardinalis* n. 47. ex traditione vetustissima *Deiparam* , cu-
Salvatorem pareret , 15. ætatis suæ annum fuisse ingressam : sed susp-
ctum est testimonium *Eodii* qvod ex *Nicephoro Baronius* adducit .
Fabula etiam est n. 42. *Joachimum* Mariæ parentem munere sacer
dotali functura esse , cum eam jam olim à B. *Augustino* adversus
Faust. Manich. confutatam memorat *Casaub.* p. 98. nec non ipse Ba-
ronius n. 46. nec minus falsum eundem *Joachimum* , priusquam lib-
ros ex uxore sustulisset , vetitum esse à Pontifice stare infœcundum i-
ter foecundos ejusque oblationem eo nomine fuisse repudiatam . Cui en-
im persuadebit illud Pseudo *Hieron.* quem tamen maxime defendit ,
eique multum tribuit *Christophorus de Castro* Jesuita Hisp. ap. Ca-
saub.

saub. p. 90. contra Baronius ap. Dorsch. in Anticornao p. 376. veritate
convictus pronunciare non erubet. Scriptionem illam quæ habet
nominis Hieronymi ad Chromatium & Helidorum scripta vul-
gata est non tantum Hieronymi non esse, sed authoris plane ut
ignoti sic prorsus imperiti, qui in ea condenda & conscriberent
non novit aperta vitare mendacia.

§. IV. Sed ecce novum illudque satis insigne commentum.
B. Virginem trimulam quod parentes voverant in templum ejusque no-
bilissimam partem adductam undecim annos illie egisse Baronius
app. n. 48. &c. At quis nescit de Virginibus sacris ad serviendum relictis
aut redemptis nihil in scriptura aut in aliis extare historiis; imo si
standum authoritate Nysseni, dicendum potius mulierem inter Sacer-
dotes in templo versari atque in sanctis ædibus conspicere, nec legem
nec gravitatem permisisse. Neque vero nos movet nubes testium addu-
ctorum, ut fidem fabulæ habeamus: De Evodi enim res clara ex S. antec-
ced: Nyssenus vero eam vocat historiam apocrypham: Damascenus au-
tem ipso Baronio fatente ad annum Christi 31. n. 75. est scriptor futil-
lis & mendaciorum plenissimus. Reliqui scriptores recentiores sunt
quam ut de rebus antiquis tuto illis credi possit Casaub. p. 101. Dorsch.
p. 377. item in tract. de tunic. Christi inconsutili. §. 9.

§. V. Quid ad vitam: firmâ semper valetudine eam esse usam
tradunt Galatinus de arcan. Cathol. verit. l. 38. c. 10. & Sebas. Barrad.
contord. Evangel. l. 6. c. 11. sed quomodo his convenit cum aliis sociis
suis puta Cajetano in opusculo de Psalm. Virginis ex Amadei ra-
ptu 8. & Salmeron. tract. 23. p. 399. quij sanctam Virginem ad con-
spectum filii sui sub cruce anhelantis ipsam aetatem concidisse eoq;
in loco postea templum de sancta Maria ipsam denominatum ex-
structum esse narrant vid. Dorsch. Theol. Zachar. p. 23. si queramus
de vita genere: respondet Sopranius apud Dorsch. de tunic. Christi in-
con. §. 9. fuisse B. Virginem miram artificem in vestibus texendis acu-
ve laborandis. Inde duo iterum neestuntur figura: primum B.
Virginem suis manibus tunicam Christi inconsutilem consecuisse, uti
habet Euthym. ad Malib. 27. & alterum eam immisssis per lilia-
pendula filis vela sacerdotum sacros texuisse in usus, uti tradit

Man-

Mantuani. Sed sicut fons unde consecratio ista derivantur affluxu de-
stituitur; ita & rivuli inde deduci facile exarescunt. Quis enim
Euthymius iste? scriptor seculi XII. quid verò sentiendum de histo-
riâ t. petius fabula quâ *Mantuani* ntititur opinio, id disce ex §.4.

§.VI. Vitam S. *Virginis* fragmentis undiq; corruptam contempla-
ti sumus hactenus; addere nunc placet ea quæ de morte ipsius circum-
feruntur. Hic primo omnium adsunt *Collyridani* negantes *Mari-*
am vita defunctam esse; alii mortuam quidem concedunt num verò
violentia an naturali morte occubuerit disceptant. confer *Salmeron-*
tem. 2. Operum tract. 43. & Brigitte revel. Litigant porrò de anno
nec non de loco mortis *Mariae* vid. *Baron. ad annum Christi 48. n. 5.*
Adrichomium l. c. p. 151. Bullam Julii II. de concl. Nazar. quæ recen-
sere haud opera precium esse ducimus, præterim cum omnia suspe-
cta ac dubia sint, nec unicus à quo circa præsens thema speranda
veritas, bona fidei historicus adduci possit. præterea quis risum tene-
re potest, si expendat mirum Papicolarum artificium in explicando
processu mortis & ascensionis *Mariae*, in singendis salutationibus
qribus in celo excepta, in recensendis apparitionibus & miraculis S.
Virginis. Hæc & plura alia hujus generis commenta tam asseveran-
terà Catholicis defenduntur, ut jurares eos huic interfuisse comœdia
non dicamus ejus extitisse authores; qvicquid sit narratiunculas i-
stas aut fufus deducere aut operosius refutare, neque fert animus no-
ster nec instituti nostri ratio permittit. Adire interim, B. L., potest, si
ipsi placuerit. *Dorsch. antiCorn. p. 290. Hornb. misc. sacr. L. 1. p. 77.*

§. VII. Restat ut paucis quæ cognita nobis sunt de *Marito*
Mariae afferamus, ortum igitur B. *Josephum* è tribu Iudea novimus,
non tamen ut Iudei somniant patrem agnovit *Jacobum*, qui *Panther*
dictus est, quod cognomen iidem in *Josephum* imò in ipsum Jesum
nostrum derivatum esse calumniantur Bebel, loc. c. Juvenis ne an senex
Mariam domum deduxerit disqviritur. pro ætate senili quidem pu-
gnant quotquot statuunt habuisse eum liberos priusquam Mariam
iposam sibi ascisceret, qribus eum etiam communiter faciunt picto-
res forma habituque senili *Josephum* exprimentes. Aliis contra con-
suetudinem Iudeorum pro se allegantibus Juvenem fuisse placet conf.
polus.

*Polus in cap. 13. Matthei. Baronius ad ann. Christi 12. n. 8. & in ap-
paratus 62. Incertum potro qualis fuerit faber. Iustinus Marthr fecit
Iesum ζωὴν ἡ ἀρτεῖα tradit; hāc igitur sententiā stante Josephum
munus fabri lignarii explevisse dicendum est. Hilarius verò Can-
in Matthaeum 14. scribit, eundem ferrarium fuisse fabrum: cui sen-
tentiae etiam adstipulatur Beda in Marcum conf. Sixtus Senensis lib. 6
biblioth. annot. 62. Pol. l. c. Bebel. p. 399. A vita genere B. Joseph
transimus ad matrimonium ejus, hic a Zelotypiam & emulationem quan-
dam inter Spiritum S. & Josephum intercessisse à Ferd. Qvir. à Salazar
comment. in prov. c. 31. n. 44. &c. temere fingitur; ast unde aut
Sp. S. aut Josephum arsisse zelo Noster probabit; nos potius acquiesci-
mus in iudicio gravissimi Theologi B. Dorschæi in Anticorn p. 367.
ubi inter alia: *Zelotypiam non nisi temere Cinapse Spiritui S. tribuo*
posse, ait, cum circa rem inculpatam & juxta Dei beneplacitum
institutam exercita tota sua ratione includat vitiositatem. Qua-
denique de reliquiis S. Josephi ab earum cultoribus magno numero glorio-
se jacantur, collecta invenies apud B. Franz. de cultureliq. p. 43. & si.
52. nec non ap. Hornb. exam. bull Urbani ap. 142, usq; ad p. 146.
nos hac vice contenti receptui canimus dicimusque*

S. D. G.

COROLLARIA.

- I. *Incertum est quod profert Baronius ad annum Christi 34. gen-
tem Lacedemoniorum ab Ebreis originem duxisse.*
- II. *Impium nec Christiano Politico dignum Consilium est: posse
Principem si baccratione status suo consulere velit, religio-
nem Turcicam vel Judaicam vel Paganam recipere aut
probare.*
- III. *Callidum certè Imperatoris Turcici artificium, quod provide ca-
veat, ne de fide Mahummedana inter suos disputetur.*
- IV. *A DEI influxu conservativo omnia dependere certissimum.*
- V. *Non illico quicquid omnipresens etiam immensum est,*
- VI. *Ab Angelis non possunt edi miracula.*

35(0)58

Go lässet sich dein Fleiß noch immer weiter spüren!
Dein edler Tugend-Glanz bricht mehr und mehr her-
für;
G nicht nur zum blossen Schein wiltu den Nahmen führen
Der sonst zur Weisheit-Wahn eröffnet eine Thür/
Man sieht Nahm und Ruhm bey dir zusammen stehen
Die Tugend eussert sich selbst in dem Werck-beweis/
Indem du abermahl wilt zum Ratheder gehen
Und zeigen da mitt Ruhm den angewandten Fleiß:
Was wunder? Kan auch woll ein Feuer seyn verdecket
Das dessen Rauch davon nicht fattsahn zeugen soll?
So kan ein Tugend-Sin nicht leichtlich seyn verstecket/
Und wenn gleich Noht und Heid ihn noch so drücken woll/
Er ringt und dringt hinauff bis zu den Ehren-Epiken
Da muß an statt der Müh die Ruh geschenket seyn;
Nach vollenbrachten Lauff kan man geruhig sitzen
So stellt nach sauren Fleiß ein theurer Preis sich ein:
Ich rühme/ mehrtester/ dein bickes Fleiß-Beginnen
Das auch schon oft daheim bey mir sich hat erdaugt
Indem dein fluges Mit- und scharfes Wieder-sinnen
Nebst andern manche Stund von deinem Fleiß gezeugt;
Ich weiß das künftig auch (der Höchste läßt nur leben
VAREN, den theuren Mann/ des unverdroßne Güth
Ig wider unsern Fleiß will neuen Wachsthum geben
Der Himmel kröhn dies Haupt mit neuer Güth und Blüth)
Wenn dich die Ordnung trifft/ du dich wirst hören lassen/
Zu zeigen wiederumb den Mäusen deine Treu
Die sie beständig soll und mutig stets umfaßen.
Wie mit dem neuwen Jahr sie wiederumb wird neu.
Nun dies ersreue dich! du hast es woll getroffen
Bey so bestaltem Fleiß bleibt nicht dein Ruhm zurück/
Es steht auch deiner Müh die Ehren-Pforten offen;
Mein Waldeck fahre fort; ich Wunsch in allen Glück!

Johann Christoff Schwandt.



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn730611256/phys_0023](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730611256/phys_0023)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn730611256/phys_0024](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730611256/phys_0024)

DFG


hac de re ipse subdubitanter loquatur nō
tum istud præterire possumus certo per sva
libro *Venerabilis Beda de locis sacris* ē
doceri. Ejusdem monetae videtur etia
nativitatis exhibitam primæ vetustatis ex
sum *Pater n.s.* Sciendum igitur aliquo
istam religiosam non primo illo Ecclesiæ
pergit *Baronius* ibid. fabulas augere nov
mini argento tectum fuisse; at ubi *Pseu*
tatem noster sequitur hæc habet? dicit nos
possumus argenteum de tegumento nullum
Porro si secundum te, *Baroni*, natus est
in præsepi medius inter bovem & asinum
tuum, ibid. cum veritate consistere, i
solent ne jumenta in casis collovari? at
nslum commentum istud lectori persuad
mæ visitur, conciliare vellet. nobis quid
Romam translatæ ejusdem videtur esse
ret hico - Lauretanæ destructæ penitus à *D*
izonianis Diff. I.

CAP. I DE PARENTIBUS

S. I.

Quamvis alia seqvior sexus habetur i
loco ab illo ordimur, cum præcip
. Nativitate Domini habenda sit ratio, in
Mariolatria adeo insanire debemus, usq; ea
plum cœlo majus, hortum non feminatu
bem pluvias incorruptas continentem, fod
tam tegens terram, navem mercibus ref
re gentem &c. appellemus vid. *B. Dorsch*,
beck. examen. bulle. Urban. p. 122 Neque
niosissima & ad summam dementiam redi

B3



the scale towards document

pede figura
& palmam falsa
hanc hausit,
io quam loco
natur. *Anndi*
reverentiam
ore coepisse.
præsepe Da
uius authori
mus luteum,
im vestigium:
culo & jacuit
sequens affer
esse in casa?
in extori An
nasæ, quæ Ro
ethlechemita
domus Nazar
Diff. *Aniba*

I.

tamen hoc
Virginis in
a neque cum
ronum, tem
rundam, nu
diit lapis to
e gubernato
p. 363. Horn
ante igno mi
nestanda fa
cere

Image Engineering Scan Reference Chart TE63 Serial No.